

SECTIO SECUNDA.

Heuristica Christiana.

§ 68.

Norma interpretationis Christianae.

1. — Hermeneutica rationalis S. Scripturam *ut librum* spectat; hermeneutica Christiana eam *ut librum inspiratum* considerat. Prior examinat S. Scripturae linguam, contextum et conditionem auctoris; posterior insuper rationem habet divinae S. Scripturae originis seu inspirationis. Ad tres ergo hermeneuticae rationalis normas, scil. leges consuetudinis loquendi, contextus et conditionis, hermeneutica Christiana addit respectum divinae originis et duplicis auctoris ac naturae seu legem Christianam inspirationis.

Ex inspiratione autem sequentes S. Scripturae proprietates manant: absoluta veracitas, natura prophetica, et multiplex in nonnullis locis S. Scripturae sensus. Inspirationem autem S. Scripturae plus vel minus negligunt vel adulterant interpretationes antichristianae: Judaica et rationalistica.

2. — Sectio ergo praesens dividitur ut sequitur:

Caput primum: Systema Christianum.

Articulus I. Inspiratio librorum sacrorum.

- » II. Absoluta Scripturae veracitas.
- » III. Natura Scripturae prophetica.
- » IV. Multiplex Scripturae sensus.

Caput secundum: Systemata antichristiana.

Articulus I. Interpretatio Judaeorum.

- » II. Interpretatio rationalistica.

CAPUT PRIMUM.

Systema hermeneuticum Christianum.

ARTICULUS PRIMUS.

Inspiratio librorum sacrorum.

§ 69.

Notio et natura inspirationis.¹

1. — S. Scripturae auctoritas est duplex: humana (historica atque doctrinalis) et divina. Sicut auctoritatis humanae fundamenta et criteria sunt authentia, integritas et fidedignitas: ita ratio auctoritatis divinae est inspiratio, et hujus ipsius criterium canon, qui numerum et ambitum librorum inspiratorum exstantium infallibiliter determinat.

Inspiratio autem, quae singulare librorum sacrorum privilegium est, sensu latiore et strictiore dicitur. Inspiratio *sensu latiore* est supernaturalis Dei influxus, qui hominem ad (verbis vel scripto) *docendum movet*, intellectum ejus *illuminat*, voluntatem autem hominis ita *moderatur*, ut consilio Dei convenientia dicat vel scribat. Illuminatio intellectus doctrinas vel eventus naturaliter non cognoscibiles vel saltem antea hominem latentes revelat, aut vero errorem a doctrinis et eventibus naturaliter cognitis proponendis arcet. *Sensu autem strictiore* inspiratio est *motio hominis ad scribendum et in scribendo illuminatio ejus* (revelans vel errorem arcens) *ac directio, quibus liber principaliter Dei opus verbumque efficitur.*

Sensu lato inspiratus est quivis Dei nuntius, e. g. prophetae et apostoli etiam nihil scribentes, necnon sic inspirata est eorum doctrina. Sensu autem strictiore nonnisi scriptores et libri dicuntur inspirati.

¹ Inspiratio in hermeneutica plerumque nota supponitur, at non explicatur neque probatur. Revera etiam in theologia fundamentali vel in introductione, ubi de auctoritate librorum sacrorum humana et divina agitur, inspiratio tractari potest et solet. Quum autem studium hermeneuticum saepe illas disciplinas antecedit, ne sine fundamento domum interpretationis Christianae strueremus, inspirationem hic pertractandam existimavimus. Qui inspirationem alibi jam didicerunt, nunc in hermeneutica praetereant.

Inspiratio dicitur primo active de Deo, qui hominem, vel homini veritatem inspirat; deinde passive tum de homine (subjective) qui vel cui aliquid inspiratur, tum de libro (objective seu terminative), qui inspiratur. Inspiratio ergo est *activa* et *passiva*, quarum posterior rursus est *subjective passiva* aut *objective seu terminative passiva*.

2. — Inspiratio est pars et instrumentum ordinis supernaturalis, idest relationis illius moralis, quae ex positiva institutione divina inter Deum et hominem intercedit.

Ordo hic consistit in revelatione ejusque argumentis (miraculis et vaticiniis), deinde in legibus divinis positivis, gratia ejusque instrumentis (sacramentis) et in societate religiosa (ecclesia), — quae omnia fide et obedientia acceptata hominem ad salutem aeternam a Deo sibi paratam ducunt et adjuvant.

Ipsa *revelatio* est fundamentum et fons totius ordinis supernaturalis, et definitur: manifestatio vel communicatio veritatis, modo supernaturali et plerumque ad finem supernaturalem facta. Revelatio variis modis fieri potest: humana voce Dei incarnati, sicut apostolis cum Christo conversantibus contigit, deinde per angelum apparentem et loquentem, tum per visionem vel somnium, denique frequentissime per inspirationem. Inspiratio (sensu stricto) ergo est species revelationis, scilicet revelatio per scriptorem sacrum interne illuminatum, ad scribendum impulsus ac directus data. Revelatio tum Patri, tum Filio, tum Spiritui S. attribuitur; inspiratio soli Spiritui S. auctori adscribitur.

3. — Omnes materialistae et pantheistae, Deum personalem negantes, item deistae, operationem divinam ad creationem restringentes ac gubernationem providentiamque divinam infitiantes, consequenter negant existentiam ordinis moralis supernaturalis; itaque negant finem hominis supernaturalem, ejusque media supernaturalia sc. revelationem, miracula, legem divinam positivam, gratiam, ecclesiam a Deo constitutam, ergo etiam inspirationem.

Negatio ordinis supernaturalis in theologia vocatur *rationalismus*; qui in libros sacros applicatus et inspirationem atque miracula (una cum prophetiis) respuens, nominatur *rationalismus biblicus*.

Primus inspirationem impugnavit philosophus Judaeus pantheista Bened. Spinoza, cui tunc ipsi protestantes restiterunt. Sensualistae et deistae Angliae eam Spinozae sententiam amplexi sunt, eique saepius repetitae sensim animos hominum conciliarunt. Saeculo XVIII. encyclopaedistae et sic dicta Bibliotheca universalis Nicolai inspirationem impossibilem esse vel nunquam factam esse, non modo vulgo verum

etiam multis theologis protestantibus persuaserunt. Hodie plerique theologi protestantes inspirationem rejiciunt.

4. — Inspirationis *natura* spectari potest *subjective* ut actus, et *objective*, ut actionis effectus.

Actus inspirationis in tria *momenta psychica* resolvi potest.

a) Primus actus est *motio ad scribendum*, tum immediata a Deo, tum mediata per causam vel occasionem aliquam naturalem. b) Secundus actus est *influxus positivus in intellectum* scilicet intimatio notionum novarum, quae per animum (non solum per manum) scriptoris in chartam transeunt. (Revelatio sensu strictiore accepta.) c) Tertius actus est *directio voluntatis ad ea scribenda*, quae Deus scribi vult. Haec est inspiratio *positiva*.

Inspirationis *negativae* idem est actus primus (motio) et tertius (directio) ac positivae; sed actus secundus negativae est *impeditio erroris*. Si enim auctor res sibi alioquin notas scribit, positiva notionum communicatione non indiget; quum autem Deus superflua nunquam agat, in hocce casu non habet locum, nisi impeditio erroris seu inspiratio negativa.

Quoad *effectum* inspirationis quaeritur, cujusnam opus sit liber inspiratus? utrum Dei solius, an Dei et hominis simul? et qualem partem homo in eo habeat?

Quum Deus librum inspiratum per hominem scribat, et Deus (Spiritus S.) et homo ejus auctor est habendus: Deus *principalis*, homo *secundarius*. Liber autem inspiratus et Dei et hominis opus est. Argumentum, saltem libri positive inspirati, est a Deo, sed forma plerumque homini attribuenda. Attamen auctoritas libri sive positive, sive negative inspirati a Deo est et divina est.

Deus quidem posset sacro scriptore tamquam instrumento mere passivo uti. Sed talis actio supernaturalis, naturam humanam ad tempus tolleret, quod relationi ordinis naturalis et supernaturalis repugnet. Supernaturale enim non tollit naturam, sed eam complet ac perficit; aliquid ei addit, sed nihil demit. Deus supra naturam agens non destruit, quod in natura condidit. Ita Deus causas naturales secundum naturam earum movere solet. Ergo etiam inspiratio, ut pars ordinis supernaturalis, naturam humanam servat, sed ei scientiam motumque supernaturalem addit. Auctor igitur humanus est causa libri inspirati secundaria, sed etiam per se agens, non mere instrumentalis. Idem etiam character librorum sacrorum confirmat; quot enim sunt homines auctores, totidem ingenia et affectuum atque elocutionis genera apparent.

Ab inspiratione differt *infallibilitas*. Utraque est supernaturalis Spiritus Sancti assistentia errorem arcens; sed *infallibilitas tantum revelationem acceptam immutatam conservat, eamque* (et omnia quae cum ea necessario cohaerent) *sine errore interpretatur*. Ipsa inspiratio negativa amplior est quam infallibilitas; nam illa praeter infallibilitatem etiam motionem ac directionem supernaturalem ad scribendum continet.

§ 70.

Possibilitas et necessitas inspirationis.

1. — *Inspiratio est possibilis*. Nulla est ratio possibilitatem inspirationis negare, dummodo aliquis Deum esse, eumque mundi atque hominis curam habere concedat. Profecto nihil possibilitati inspirationis obstat nec in Deo nec in homine inspirato.

Etenim Deus hominis creator non potest facultatem animi humani agendi, docendi et regendi unquam amittere; nec vero esset omnipotens et supremus omnium dominus, si non posset creaturae, sive interno influxu immediato, sive externis signis cognitionem intimare, eamque ad intimata describenda movere et dirigere. Neque ex parte hominis quidquam obstat. Hominem a homine per signa externa multa doceri constat. Quomodo ergo non possit Deus in anima humana ideas excitare, et quidem non solum signis, sed etiam immediata interna efficientia?! Etsi cognitio per sensus et signa lex est commercii hominis cum mundo et aliis hominibus: tamen spiritus puros, imo ipsum Deum omnium creatorem ac dominum, omnemque substantiam corporalem et spiritualem penetrantem eadem lege teneri, temere atque absurde praesumitur. Quod autem ad voluntatem attinet, si homini multa suaderi, imo ut nunc dicitur suggeri et vel invito ac reluctanti imponi possunt: quis sanus negaverit voluntatem humanam a Deo etiam immediato atque interno impulsu moveri, et in docendo vel scribendo regi posse?! Nemo ergo possibilitatem inspirationis negare potest, nisi perfectiones divinas ac Deum ipsum esse negaverit.

2. — *Inspiratio necessaria* saltem utilissima est ad commercium Dei cum hominibus. Namque nullus alius revelationis modus tam aptus est ad fidem faciendam et veritatem divulgandam omnibusque hominibus probandam, quam inspiratio.

Revelatio e. g. *interna* si passim fieret, incerta esset et sine necessitate miracula multiplicaret. Revelatio *viva voce* tradita facile oblivioni daretur et immutaretur; neque trutina scientiarum examinari atque erudite tractari, nec semper demonstrari ac prudenter credi posset. Revelatio igitur scripta maxime rationi et indigentis hominum satisfacit. Scripta autem revelatio optime per legatos divinos inspiratos datur. Si ergo Deus generi humano revelationem dare dignatus est, quae menti humanae maxime exoptabilis, naturae lapsae plane necessaria erat: certe sapientissime revelationem suam (vel ejus partem) litteris inspiratis mandavit.

§ 71.

Demonstratio inspirationis.

1. — Inspiratio utpote possibilis ac necessaria, spectata Dei sapientia et bonitate jam a priori verisimilis est. Sed eam revera factam esse fidedignis testimoniis probetur oportet. Testimonia illa, quum de actione divina et invisibili agatur, non nisi divina esse possunt. Quae testimonia continentur S. Scriptura, traditione et declarationibus fidei ecclesiae.

Objectio. Inspirationem S. Scripturae argumentis biblicis probare petitio principii esse videtur. — *Respondemus*: a) S. Scriptura non est unus liber sed multorum librorum corpus; libri ergo recentiores, inspirationis vetustiorum testes, non pro seipsis dant testimonium, sed pro aliis. b) In Scriptura distinguenda est auctoritas humana seu historica a divina. In demonstranda inspiratione libris sacris ut operibus historicis summa fide dignis utimur, iisque edocemur, fuisse viros, qui se Dei legatos dicerent, libros scriberent, pro divina aliorum librorum origine testimonium darent, et suam divinam missionem dictumque testimonium miraculis ac vaticiniis confirmarent. Quum autem miraculum sit opus Dei solius proprium nulli creaturae imitabile, ideoque testimonium divinum invictissimum: hinc Deus ipse per miracula illa libros et testimonium legatorum suorum sanxit. Testimonia autem legatorum divinatorum et narrationes miraculorum ab iis et pro iis factorum S. Scriptura, ut libro historico fidedignissimo, continentur. Libris ergo, miraculis auctorum ita confirmatis, tum propria horum librorum, tum aliorum inspiratio firmissime demonstratur.

Hoc testimonium confirmat traditio historica, quae fidem nobis facit, legatos quosdam divinos prodiisse, suamque missionem miraculis

et vaticiniis comprobasse. Testimonia horum legatorum exhibet traditio dogmatica, i. e. doctrina Christi et apostolorum ore tradita, in ecclesia conscripta, et Christo teste ac sponsore infallibiliter custodita. Traditio dogmatica inspirationem omnium librorum sacrorum tam Ant. quam Novi Test. copiose testatur.

2. — *Ecclesia* et Ant. et Novi Testamenti libros semper pro inspiratis habuit.

Concil. Carthaginense III. (anno 397.) statuit: »Placuit, ut praeter Scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum.« Dein *Concil. Carthaginense IV.* (anno 398.) inter quaestiones episcopo consecrando proponendas sequentem praescripsit »Credis etiam Novi et Vet. Testamenti, Legis et Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem?« Inspirationem librorum sacrorum professa sunt etiam *Concilia Constantinopolitanum II.* (553.) et *Florentinum.* (1438.)

Concilium Tridentinum sequentibus verbis fidem ecclesiae enuntiavit: »(Synodus) omnes libros tam Vet. quam Novi Test. cum utriusque unus Deus sit auctor, . . . pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.« Deinde canone Scripturarum recensito adjicit: »Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . . anathema sit.« (Sess. IV. decr. de can. Script.) Uberime autem et clarissime doctrinam inspirationis catholicam ratione recentiorum errorum habita exponit *Concilium Vaticanum* his verbis: »Eos (libros) ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu S. inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt.« (Sess. III. Decr. de fide, cap. 2.) »Si quis S. Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit.« (Ibid. can. 4.)

Decreta haec sequentibus nituntur argumentis.

3. — Inspirationi Librorum Ant. Testamenti suffragatur ipsa S. Scriptura Ant. Test., deinde traditio Judaeorum et S. Scriptura Novi Test.

S. Scriptura A. Test. saepius declarat sacros scriptores Dei impulsu vel plane mandato scripsisse. Ita Ex. 17, 14. dicit Domi-

nus ad Moysen: *Scribe hoc in libro; 34, 27. scribe tibi verba haec.* Similiter Isai. 8, 1. 30, 8. Jer. 36, 2. Ezech. 24, 2. Dan. 12, 4. Hab. 2, 2. Deinde in scriptis prophetarum frequenter legimus: *haec dicit Dominus, audite verbum Domini* et similia. Isaias autem (34, 16.) dicit: *quod ex ore meo procedit, ille (Deus) mandavit, et Spiritus ejus ipse congregavit ea.* Recentiores Antiqui Test. libri librum Moysis legem Dei, librum, volumen legis Domini appellant. (Jos. 24, 26. IV. Reg. 22, 11.) Prophetae autem posteriores ad antiquorum prophetarum scripta ut Dei verba provocant. (Dan. 9, 2. etc.) Notandum est, eosdem sacros auctores, qui ita de se et aliis loquuntur, hoc suum testimonium miraculis et vaticiniis quasi Dei sigillis confirmasse.

Traditionis Judaicae testis est *Josephus Flavius*, qui scribit:

»Itaque apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissentientium atque inter se pugnantium, sed duo dumtaxat et viginti libri totius praeteriti temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini . . . Ceterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam sunt quidem singula litteris mandata, sed nequaquam tantam fidem et auctoritatem meruerunt, quantam superiores ii libri, propterea quod minus explorata fuit successio prophetarum. Quanta vero veneratione libros istos prosequamur, reipsa apparet. Cum enim tot jam saecula effluxerint, nemo adhuc nec adjicere quidquam illis, nec mutare aliquid est ausus. Sed omnibus Judaeis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, ut Dei haec esse praecepta credamus iisdemque constanter adhaereamus, et eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus.« (C. Ap. I. 8.)

Similiter *Philo* dicit auctores sacros Dei nomine scripsisse, a Deo inspiratos fuisse et Deum per os eorum locutum esse. (De proph. Jud. De cherub.)

Rabini autem et *Talmud* quattuor gradus inspirationis distinxerunt: a) inspirationem Moysis, quae fuerit maxima propter conversationem cum Deo; b) inspirationem prophetarum, sc. donum prophetiae; c) Spiritum Sanctum hagiographorum; d) filiam vocis (bath-qól בַּת־קוֹל), qua usi sint scriptores post Malachiam viventes. (Cf. Liber Sothah c. 9. et lib. Cosri III. 21.) Etiam Maimonides tradit, scriptores sacros veram inspirationem (Spiritum Sanctum, ruach haqqodes) accepisse, scriptores autem postexilicos per filiam vocis inspiratos fuisse. (Moré Nebuchim, II. 45.) Haec tamen filia vocis ex mente rabbinorum vera inspiratio erat, etsi minoris dignitatis, quam inspiratio exsilio antiquior.

Inspirationem Librorum A. T. in Libris N. T. docent *Christus et apostoli*, qui testimonium suum innumeris miraculis confirmarunt. Christus et apostoli locos A. T. ut effata Dei afferunt, iisque libris naturam propheticam attribuunt. (Matth. 4, 4. 7. 10. 26, 54. Joan. 5, 39. 10, 34. Rom. 1, 17. 3, 10—19. 9, 33. Gal. 3, 6. 10. 16. 22.) Deinde Salvator Judaeos interrogat: *Quomodo David in Spiritu vocat eum (Messiam) Dominum?* (Matth. 22, 43.) S. Petrus dicit: *Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus S. per os David de Juda* (Act. 1, 16.); et S. Paulus: *bene Spiritus S. locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros.* (Act. 28, 25.) Imo duo apostolorum principes ipsis theologorum verbis Scripturae A. T. inspirationem asseverant: *Omnis Scriptura divinitus inspirata (θεόπνευστος) utilis est ad docendum, ad arguendum etc.* (II. Tim. 3, 16.) *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirati (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι) locuti sunt sancti Dei homines.* (II. Petr. 1, 21.)

4. — De inspiratione Librorum *Novi Test.* S. Scriptura apertum testimonium non dicit. Scripta enim *Novi Test.* ex occasione errorum vel controversiarum sunt edita; de inspiratione autem viventibus apostolis nullae majores dissensiones erant, ergo neque occasio erat apostolis inspirationem Scriptorum *Novi Testamenti* lectoribus inculcare. Non desunt tamen *argumenta indirecta.*

Christus Dominus apostolis evangelium *praedicaturis* Spiritus S. assistentiam et inspirationem promisit: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* (Matth. 10, 19. 20. Cf. Marc. 13, 11. Luc. 12, 11. 12.) *Ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis...* (qui) *in vobis erit. Non relinquam vos orphanos.* (Joan. 14, 16—18. confer Joan. 15, 26. 16, 7. Luc. 24, 49. Act. 1, 4. 5. 8.) *Ille (Spiritus S.) vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis* (Joan. 14, 26.) et *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, quam non potestis portare modo.* (Joan. 16, 12. 13.) Apostolis ergo viva voce praedicantibus Spiritus S. procul dubio aderat, eorumque per os locutus est. Sed libri *Novi Testamenti* saltem plerique non sunt, nisi apostolorum praedicatio scripto tradita vel a discipulis litteris consignata. Quum igitur Spiritus S. apostolis verbo praedicantibus assisteret, eosque inspiraret: non poterat eos scripto praedicantes deserere; si ergo sermo eorum inspiratus erat, profecto etiam

scripta. Imo inspiratio doctrinae scriptae, utpote quae permanens esset, magis adhuc necessaria erat, quam vivae vocis cito evolantis.

Deinde *ipsi apostoli* doctrinam suam pro verbis Spiritus S. haberi volunt. S. Petrus dicit praecones fidei evangelizasse *Spiritu S. misso de coelo.* (I. Pet. 1, 12.) S. Paulus scribit Dei sapientiam, quam praedicat, ab ipso Deo sibi revelatam esse *per Spiritum suum.* (I. Cor. 2, 10.) Alibi profitetur ea, quae scribit, Domini mandata esse (I. Cor. 14, 37.), seque pro Christo legatione fungi et Deum per ipsum hortari. (II. Cor. 5, 20.) In epistola ad Ephesios gloriatur prudentia sua in mysterio Christi, quod *revelatum est sanctis apostolis ejus et prophetis in Spiritu.* (3, 4. 5.) In synodo Hierosolymitana apostoli decreta sua his verbis inchoant: *visum est Spiritui S. et nobis.* (Act. 15, 28.)

5. — *Traditio ecclesiae* ad apostolos pertingens sicut Antiqui ita et *Novi Foederis* libros opera et verba Dei, eloquia Spiritus Sancti semper habuit. Omnes Patres libros sacros ut verba divina allegant. Aliquos eorum citasse sufficiat.

S. *Clemens Rom.* scribit: »Scripturas diligenter inspicite, vera Spiritus Sancti oracula attendite.« (I. Cor. 45.) — S. *Irenaeus*: »Scripturae perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictae.« (Adv. haer. II. c. 28. n. 4.) — S. *Theophilus*: »Consentaneae inveniuntur prophetarum et evangelistarum sententiae, propterea quod omnes uno Dei afflati Spiritu locuti sunt.« (Ad Autol. III. 12.) — *Clemens Alex.* Scripturas expresse dicit »divinitus inspiratas« (Strom. VII. c. 16.); »Spiritus S. enim, qui Domini quasi os est, eas elocutus est.« (Cohort. ad gent. n. 9.) — S. *Cyprianus*: »Loquitur in Scripturis Spiritus Sanctus.« (De op. et elem. n. 1.) — S. *Augustinus* vocat Scripturam »chirographum Dei« (Enarr. in psalm. 90. 144. 145.); — S. *Gregorius Magnus* »epistolam, quam Deus creaturis misit«. (Ep. 31. ad Theodor.) Idem S. *Gregorius M.* ait: »Quis haec scripserit, valde supervacaneae quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus S. fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit; ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit.« (Praef. in Job. n. 2.) — Similiter Origenes, Tertullianus, Eusebius, Chrysostomus, Gregor. Nyss., Hieronymus etc. Testimonia eorum collecta plura volumina implerent.

Itaque antiqua ecclesia inspirationem librorum sacrorum credit, ergo hanc doctrinam a Christo et apostolis accepit. Christus autem et apostoli testimonium suum pro inspiratione datum miraculis confirmarunt.